



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

SS. Perpetua & Felicitas. Amor Dei super omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



SS. PERPETUA & FELICITAS.

Amor Dei super omnia.

Deus, qui Sanctis PERPETUÆ & FELICITATI dedisti amoris tuo omnem carnis affectum postponere; da nobis earum exempla subsequi, & cælestia consequi, ipsis intercedentibus, præmia.

Ora pro fidei restitutione in Africa

Anno 203, Carthagine in Africa comprehensi sunt Catechumeni quatuor, & in carcere baptizati; Revocatvs, & FELICITAS conserva ejus; atque PERPETUA, 22 annorum Matrona, cum Secundulo. Hic in vinculis obiit; isti, cum SS. Saturo & Saturnino damnati ad bestias sunt, ab Hilariano Provinciae Procuratore. Gerebat tunc uterumque FELICITAS, juxta legem ad partum servanda: sed obtinuit Martyrum supplicatio, ut eam quam cupiebant habere martyrii sociam octavo pareret mense. PERPETVA vero (cujus manu habemus descriptam rei seriem quo ad usque scribere illa potuit) patris gentilis canos, & iteratas saepius preces, Christi caritate vincens, etiam lactentis filii superavit amorem. Natali deinde Getae Imperatoris die, productae in Amphiatheatrum, feroci vaccae objectae sunt ambae; sed ad nihil ab ea laesae, ut in se reversae ignorarent quid passae essent: deinde se mutuo osculatae coram spectante & necem earum poscenti populo, gladiis sunt necatae. Earum encomium etiam S. Augustinus scripsit.

Qui amat patrem aut matrem, filium aut filiam, plus quam me, non est me dignus.
Math. 10.